SYNOPSIS MORBORUM CUTANEORUM, AD NOVOS ORDINES DIGESTORUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIV. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THEODORUS GLASMACHER

COLONIENSIS.

OPPONENTIBUS:

JO. BECKER, MED. ET CHIR. DR.
CL. BOTSCHEN-HORST, MED. ET CHIR. DR.
JUL. SCHOELLER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

TH. GLASMACHER

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Versanti multa mecum in animo, quamnam ad dissertationem conscribendam mihi sumere possem materiam, mox jam persuasissimum mihi fuit, ex ~~meis expertis~~ nihil dignum esse quod in medium proferrem. Quid igitur mihi superfuit, nisi confugerem ad excogitata. Haec tibi, lector benevole, offero in hocce libello, et iterum atque iterum a te peto, ne severio-

rem te geras judicem. Agnoscas studium probamque voluntatem, indulgebis operi exiguo, etiamsi putes, me suscepisse majora, quam praestare possim.

Involucrum membranaceum, quod ut ait *Hildenbrand* (1), corticis instar totum ambit corpus animale ac limitem quasi constituit inter microcosmum organismi et universae naturae macrocosmum, cutis sive derma eo facilius morbo corripi poterit, quo magis exposita est continuo diversissimorum elementorum fluxui et refluxui, qui inter organismum vivum et mundum externum obtinent, ac quo magis perpetua illa resurgit lucta vires vitales inter et injurias externas. Hi organi cutanei morbi varia ratione in ordines digesti sunt, sed semper remanserunt affectiones, quae in nullum inseri potuerunt ordinem, et quasi appendicem constituerunt systematis. Quod eo factum esse facile intelligitur, quod semper secundum externa, quae praebuerunt signa, organi cutanei morbi divisi sunt. Haec autem externa signa non semper cohaerent cum causis, ex quibus morbi cutanei proveniunt, quamquam saepissime ex forma exanthematis character morbi intelligi potest. Attamen haec divisio secundum formam ef-

(1) Instit. pract. med. Vienn. Austr. 1833. tom. 2. pag. 99.

florescentiae, quam praecipue *Willanus* ad summam perduxit perfectionem, quod attinet ad diagnosin maximi es momenti, omnibusque aliis divisionibus praeferenda. I opusculo nostro omnes cutis affectiones morbosas secundum eum, qui subesse solet, tum universi organismi, tum cutis ipsius statum vitalem digerere studuimus, ita quidem ut, quantum fieri potuerit, ordines et familias naturale *Willani* reservaverimus. Talem nostram propositionem secuti, divisimus cutis affectiones in quatuor ordines, scilicet *congestiones*, *inflammationes*, *indurationes* e *degenerationes*, ad quos paulo uberius exponendos jam jam transeamus.

ORDO PRIMUS.

CONGESTIONES.

Congestio generatim ille dicitur status, ubi humor quidam in parte quadam lente coacervatus, tumorem format, vel ubi sanguis majori copia in partem quandam aut relative debiliorem et propterea minus resistentem aut adaucta vasorum, praecipue capillarium, vi, magis justo irritatam, fertur. Specialiter illum statum, ubi humor debilitate vasorum et prava sanguinis mixtione quasi stagnat, congestionem passivam, hunc autem appellamus activam, quam utramque invenimus in organo cutaneo. Semper requiritur ad congestionem activam efficiendam tum irritamentum externum, tum status organi cutanei praedisponens, qui nasci potest aut ex irritabilitate cutis adaucta, qua efficitur, ut cutis normalibus irritamentis magis justo afficiatur, aut ex irritabilitate diminuta, qua efficitur, ut cutis, minus quam debet, contra haec irritamenta reagat. Ex minore etiam reactione provenit congestio. Hae autem duplices congestionis causae accurate sunt distinguendae. Denique afferamus distinctionem cu-

tis affectionum in primarias et sympathicas sive sympt maticas, quarum ultimae ex febribus saepe oriuntur, u transsudatio aut interrupta est, vel tantum impedita, a nimis copiosa; nec minus e statu erethico organi cutan ubi sympathice in morbum complicatur.

A. Congestiones activae.

Harum symptomata scilicet intumescentiam, rubed nem et adauctam sensibilitatem cum pulsatione, quam se tit aegrotus, conjunctam, in multis etiam aliis invenim cutis affectionibus, praesertim inflammatoriis, ubi mor ipsius accessioni antecedunt. Sed nonnullae quoque e istunt affectiones, in quibus nunquam majorem gradu assequitur status congestivus, ita ut inflammatio nomina possit. Quibus veris et activis congestionibus adnume duas affectiones ex stricte sic dicendis exanthematibus.

1. *Erythema*, quod neque calore neque dolo magno ingreditur, sed rubedine tantum magis minusve di fusa irregulari vel regulari, non intensiva, superficiali, s digito premente disparente et intumescentia vel papul (*E. papulatum* Willani) vel tubercula (*E. tuberculatun* vel nodos (*E. nodosum*) formante, se ostendit. Sed isti t mores in plerisque casibus deficiunt, et eo magis erythema p congestione tantum habendum, quum symptomata unive salia neque antecedant, neque comitentur erythema, forsan exoriatur in febribus ex sympathica organi cutan affectione, quae semper cum irritabilitate diminuta co juncta est. Denique decursus celer demonstrat, hanc a

fectionem pertinere ad congestiones magis quam inflammationes.

2. *Urticaria.* Quam quoque affectionem non difficile mihi erit demonstrare, ad congestiones pertinere, nam etsi saepius coexistat cum febribus et gravioribus organismi affectionibus, quae semper characterem habent erethisticum, et irritabilitatis adauctae, tamen hoc exanthema, quod apparet maculis plus minusve prominentibus, forma et magnitudine variis sed irregularibus magis minusve quam cutis circumjacens, rubentibus, subito disparentibus et redeuntibus, semper cum pruritu molestissimo conjunctis, jam decursu irregulari, ut ita dicam interrupto, ut mihi videtur, magis ad erethismum et orgasmum se pertinere ostendit, quam ad inflammationem, quae manet usque ad exitum certum quendam, neque vero pro lubito disparere et redire potest. Praesertim in urticaria evanida hoc elucet, quae apud homines cute tenera et irritabili praeditos, vel gastricismo laborantes saepe occurrit, et tunc per menses et annos redire et iterum evanescere potest. Etiam urticariam tuberosam *Frankii* (1), quamvis multo graviorem affectionem, congestione ex erethismo tantum gigni contendo, quippe quae die plerumque evanescat, noctu redeat.

Jam ad affectiones cutaneas transgredimur, ubi aliud accedit symptoma, quod plerumque inflammationis signis adnumeratur, scilicet fluidi serosi exsudatio, vesiculis con-

---

(1) de curand. hom. morb. tom. 3. p. 108.

tenta. Sed jam in aliis organis, praesertim tunicis sero
sis, viri docti statuerunt, exsudationem ex adaucta irrita
bilitate vel erethismo oriri posse, sine vera inflammation
— cur non pariter se habere possit in organo cutaneo
Eo facilius in hoc organo exsudatio fieri debet, quo ma
gis est organon secretorium et quo facilius statu irritat
ejusdem adaugetur secretio, quod in aliis etiam organi
secretoriis toties videmus. Propter quam nimiam secre
tionem secretum in vesiculis, epidermide elevata formati
accumulatur. Primus irritationis effectus est orgasmu
quo producitur plethora cutis partialis, seu congesti
haec augeti secretionem, itaque exoriuntur exanthemat
vesiculosa. Paucis verbis addam, naturam nunquam cer
tis vinculis se devincire pati, et saepe ex his congestio
nibus veras oriri inflammationes, quae vero semper ac
cessorio tantum modo non primario existant.

Illis adnumero: [illegible]

3. *Miliaria.* Hujus affectionis eruptio semper con
venit cum irritatione cutis et sudoribus copiosis; et sae
pissime observatur uti symptoma affectionis gastro-intestinali
uti ajunt Francogalli, cum cujus exacerbationibus coincidit
Saepe et cum scarlatina complicata est nec non cum typh
intestinali. Ante eruptionem aegrotus calorem sentit adau
ctum et pruritum molestum. Vesiculae initio admodur
parvae, pellucidae, in fundo saepius valde rubente posi
tae sunt. (Mil. rubra W). Mox crescunt et serum con
tinent album, lacteum (M. alba). Sed post breve tempo
ris spatium disparent, aut resorbetur contentum aut ru

ptis vesiculis effunditur. Tunc sequitur exfoliatio epidermidis, sed nunquam in suppurationem neque indurationem transeunt; quod cum ceteris allatis jam suadet, ex simplici eam affectionem oriri congestione.

4. *Eczema. Eczema simplex* ex inflammatione non oriri, lubenter mihi concedes, nam huic cutis efflorescentiae cum antecedenti maxima est similitudo respectu indolis. Symptomata elementaria, ut ita dicam, constant ex vesiculis parvis, multis, agglomeratis, quae magnas, circumscriptas et irregulares obtegunt superficies. In eczemate simplici nulla adest area inflammatoria, vesiculae non alium atque cutis ipsa praebent colorem; dolor, rubedo, intumescentia desunt, quid igitur? Inflammatio nullo modo adesse potest, sola est irritatio, et ex ea profecta congestio, quae effecit vesiculas sero completas. Vesiculae languescunt, serum resolvitur, epidermis tenuissime exfoliatur. Nunquam superficies inflammata est, nunquam profusa exhalantur fluida, neque squamae formantur. In *Eczemate rubro* irritatio et congestio jam prope vergere videntur ad inflammationem propter nimiam copiam vesicularum parvarum, agglomeratarum, quae initio tantum punctula prominentia formant. Irritatio congestioque maximum gradum assequuntur in *Eczemate impetiginode.* Sed hae etiam affectiones, nec minus *Eczema chronicum* primum e congestione oriri videntur, aeque ac eczema simplex, quod quum existat, jam demonstrat, harum affectionum initio tantum causam esse irritabilitatem adauctam, quae ut sanetur, a natura

saepe in inflammationem transducitur. Quam ob rem quum primarium sit congestio, congestionibus eczema adnumerandum esse censeo. In eczemate rubro, quod initio, ut jam antea diximus, punctulis prominentibus se manifestat nec non calore et tensione cutis, mox sequitur adaucta cutis valde irritatae functio, nam postquam vesiculae ex illis punctulis exortae sunt, area rubra circumdatae, morbus aut uti priores exfoliatione epidermidis finitur, aut permanet, quum serum, e vesiculis ruptis in superficiem fusum ipsam iterum irritet. Tunc lamellas format tenuissimas, magnas, molles, quae saepe renovantur et superficiem rubram relinquunt. Lamellae habendae sunt pro epidermide nimia et superflua, quae adaucta (non enim imminuta est ut in vera inflammatione) organi cutanei functione oritur. Similiter res se habet in eczemate impetiginode, quod a rubro differt gravioribus tantum symptomatibus, et eo respectu, quod non lamellae sed squamae magnae, ex foliolis constantes producantur. In eczemate chronico, quod omnes allatas eczematis species sequi potest, illud unum accedit, quod cutis perpetuo irritatur sero, quod vesiculae semper resurgentes et rumpentes effundunt; quo fit ut morbus in infinitum producatur.

5. ***Herpes.*** Signa elementaria hujus morbi cutanei constant e vesiculis, quae semper in superficiebus rubentibus, minoribus vel majoribus, sed circumscriptis collocatae sunt. Quae superficies separatae sunt interstitiis ubi cutis plana sana et integra manet. Vesiculae sem

per sunt agglomeratae. Raro tantum febricula se adjungit ***Herpeti phlyctaenodi***, qui finitur epidermidis desquamatione et plane caret inflammationis verae et genuinae signis. ***Herpes labialis*** et ***praeputialis*** varietates praebent solummodo sede a phlyctaenode discrepantes. ***Herpes Zoster*** forma etiam differt, quam habet certe definitam, quum zonam dimidium corporis circuitum amplectentem formet; plerumque enim dextrum latus a linea intermedia anteriore usque ad posteriorem occupat. Hic quoque desquamatione epidermidis finitur, postquam serum, quod inerat vesiculis, resorptum est. ***Herpes circinnatus*** constat e vesiculis, ad peripheriam macularum rotundarum aut ovalium rubrarum dispositis, quae eodem modo finiuntur exfoliatione vix sensibili. ***Herpes iris*** annulis quatuor, versicoloribus, vesiculam unam circumdantibus distinctus, simili exfoliatione breve post temporis spatium finitur. In nulla omnino herpetis varietate neque calor neque intumescentia neque dolor magnus; symptoma unicum molestum ardor quidam urens. Affectio totius organismi raro et exigua tantum ex his affectionibus provenit, quae saepissime cohaerent cum gastricismo, vel, praesertim herpes labialis, cum angina. In herpete circinnato et iri congestio produci videtur imminuta cutis irritabilitate, nam saepissime observantur in hominibus, ubi talem adesse facillime diagnoscimus.

6. ***Varicella.*** Hancce confirmant vesiculae singulae totam cutis superficiem tegentes, majores vel minores, quae initio pellucidae tunc turbantur et exfoliatione vel

desquamatione post breve tempus finiuntur. Febricul saepe concomitatur hic morbus, neque vero ad vera pertinet inflammationes.

7. *Scabies.* Scabiem nihil esse nisi localem cu tis affectionem et primarie ex vesiculis oriri inter viro doctos nostrorum temporum constat. Nam etsi pustula saepe inveniantur, magis tamen secundario modo ex ve siculis proveniunt, praecipue si aegrotus eos rodit e munditiem negligit. Semper hoc exanthema contagiosu externo irritamento, sit contagium peculiare, sint animal cula, quod in dubium ponamus, exoritur, quo fit ut cu tis magis sanguine repleta in congestivum statum venia vesiculas procreantem, quae si a primo initio rationa modo curantur, mox disparent, et non nisi neglectae mor bum in statum chronicum protrahunt. Symptomata ele mentaria constant ex vesiculis acuminatis, sparsis, summ pruritu conjunctis, quae faciem nunquam occupant, sed i artuum flexibus maxime apparent.

8. *Aphthae* formantur vesiculis parvis, albidis, se roso liquore refertis, quae linguam, labia, internam ori et faucium superficiem occupant et in exfoliationem crustaru albarum transeunt. Saepe in infantibus occurrunt et cu abnormi gastrico statu cohaerent. Distinguuntur a *Wi lano* in Aphthas lactantium, adultorum et anginosas, sem perque levem affectionem ostendunt, quae irritatae tantu membranae mucosae oris signa manifestat.

Restat ut pauca afferam de iis cutis affectionibu

ubi epidermis bullis majoribus vel minoribus elevetur. Hae a *Willano* distinguuntur in:

9. ***Pompholycen*** et

10. ***Pemphigum.***

Pompholyx (1) sine inflammatione et febri apparet, et ab illo auctore in benignum, diutinum et solitarium dividitur. Qui non ex majore sed ex imminuta irritabilitate provenire mihi videtur, nam plerumque in hominibus maxime debilitatis occurrit, qua imminuta irritabilitate efficitur, ut cutis sensibilior fiat ad influxus externos concipiendos.

Pemphigus, de quo tam multum disputatum est, quem cum febri, quam nominant bullosam, peculiari cohaerere dicunt, tam in dubio versatur, ut omissa accuratiore indagatione tantum in hoc suo loco eum ponam.

Ad has bullas etiam pertinet:

11. ***Rupia***, a ***Willano*** vesiculis adnumerata, quae semper sine inflammatione accedit et significatur latis, planis bullis, quae ad rupturam pronae, postea effundunt serum rodens. Qui morbus tenuibus finitur squamis. Haec etiam rupia cum totius organismi et praesertim cutis imminuta irritabilitate cohaeret. ***Rupia*** praecipue ***esscharotica*** Willani in infantibus, cachexia quadam laborantibus occurrere solet.

Nunc tertium attingimus ordinem naturalem huic nostro ordini congestionum adnumerandum, qui scilicet am-

(1) cf. Batemann, prakt. Darstellung der Hautkrankheiten nach Willans System. Halle 1815. p. 224.

plectitur papulas. Papulae non uti vesiculae exsudation evehuntur, ex majori functione organi profecta, sed i cute ipsa, et in papillari quidem corpore sedem habent Hoc corpus papillare (1) sub epidermide et reti mucoso quod Malpighianum vocant, extentum, ita ut externan cutis superficiem formet, in exanthematibus papulosis ad aucta irritabilitate et congestione inde profecta, intumesci et papulas efficit. Hae affectiones praeter solum liche urticatum characterem communem habent erethisticum e irritationis valde adauctae. Tres distinguuntur affectiones papulosae.

12. ***Strophulus.*** Hic morbus primum a ***Willan*** constitutus comprehendit papulas aut laete rubentes au magis albidas, non admodum prominentes, quae aetati infantili ob magnam tum vasorum copiam tum cutis irritabilitatem valde communes sunt et ab organismi irritatione sive per dentitionem sive per sordes gastricas producta, pendent. Distinguuntur a ***Willano strophulus intertinctus, albidus, confertus et volaticus.*** Semper aut dissolvitur strophulus aut transit in exfoliationem.

13. ***Lichen.*** Hic manifestatur papulis duris, parvis interdum rubentibus, sed plerumque eundem colorem praebentibus atque cutis sana. Fere semper acervatim apparent et magno pruritu conjunctae sunt. Stropulus a ***Biettio*** licheni adnumeratur, recte ut mihi videtur, nullas

(1) Cf. Archiv für Anatomie, Physiologie und wissenschaftliche Medizin von Dr. Johann. Müller. Jahrgang 1835. Heft 4. p. 408.

enim essentiales differentias hae affectiones praebent. ***Lichen simplex*** levissimam sistit affectionem, quae vero in statum chronicum transire potest. Saepe ex media papula crinis provenit, si intumescentia papillas circumjacentes occupat. ***Lichen urticatus*** celerius etiam evanescere solet et saepius redit. In ***Lichene agrio*** irritabilitas maxime adaucta et congestio permanens exhalationem serosi fluidi procreat, quod crustas format. Sub finem morbi hae crustae decidunt et exfoliatio sequitur.

14. ***Prurigo*** ab antecedenti affectione papulis tantum differt majoribus, quae nunquam a colore cutis sanae discrepant et chronicum habent decursum. Distinguitur prurigo in ***mitem*** et ***formicantem***, quibus accedit ***senilis***.

B. Congestiones passivae.

Jam congestionis passivae explicavimus definitionem, et reliquum est ut afferamus, ad quasnam organi cutanei affectiones haecce congestio, quae idem significat quod ecchymosis, nobis pertinere videatur.

15. ***Purpura*** a ***Willano*** ita definitur: constat ex maculis parvis, manifestis, purpureis et stipatur debilitate universali, neque vero semper cum febri. Quae maculae petechiae sunt sive ecchymomata sive vibices, neque activa ad organon cutaneum congestione sed exsudatione sanguinis sub epidermidem, quam non elevant, nascuntur. Purpura hac de causa non chronicam solam illam formam, sed omnes petechiarum et ecchymomatum varietates in-

cludit, videlicet illas sanguinis extravasationes, quae i
typho obveniunt abdominali, aliis febribus malignis. I
purpura simplici febris semper deesse solet, in *purpur*
haemorrhagica (morbus maculosus *Werlhofii*) acce
dunt profluvia sanguinis tum in organa interna, tum e
ore, naribus, blepharis, omnibusque aliis corporis foram
nibus. In hoc morbo ecchymomata irregularia et ma
jora esse solent ita ut flagellorum ictibus non plane dis
similia videantur. *Purpura urticans* in teneris mulieri
bus sive hominibus male nutritis occurrit, non praeb
differentias essentiales a simplici. *Petechiae*, quae ty
phum abdominalem comitantur, non apte *purpuram con*
tagiosam nominari posse, facile concedas, si spectes a
symptomaticam originem, et pensites contagium petechii
minime inhaerentem.

ORDO SECUNDUS

INFLAMMATIONES COMPLECTENS.

Jam venimus ad ordinem secundum, qui continet inflammationes organi cutanei. Ut vero satis perspici possit, quanam ex causa morbosos illos affectus hunc in ordinem posuerimus, ante omnia definitio inflammationis requiritur, ita ut deinde omnes illos morbos, qui inflammationis symptomatibus fruuntur, justo ac merito hic enumerare possimus. Infiammationis voce autem illum comprehendimus partis cujusdam statum morbosum, ubi rubedo, intumescentia, dolor et calor existant, nec non functio turbata sit. Quae omnia symptomata variant in variis inflammationibus. Alius est dolor in inflammatione rheumatica, alius in catarrhali, eodemque modo aliter se habent cetera symptomata in variis inflammationum speciebus, ita ut distinctio etiam obtineat e charactere, quo se offerunt. In hoc nostro ordine inflammationum posuimus duo genera, simplicium et specificarum. Simplices sunt illae, quae unicis generalibus inflammationis sym-

ptomatibus satis luculenter praeditae sunt, quo pertin
e. g. illa cutis, vulneri cuidam illato circumjacentis, i
flammatio, quae a ***Rustio*** pseudoerysipelati adnumeratu
Specificas nominamus illas, quae ab inflammationis pr
totypo plus minusve differant. Generalibus inflammati
nis characteribus valde modificatis, ad certas organisn
partes limitantur, atque ex ***specificis*** quibusdam caus
exoriuntur. Vocem quidem illam: »Specificis« interpr
tari nequimus et ubicunque ipsa utimur, rem non sa
nos intelligere neque explanare posse, fateri debemu
Specificae hae autem inflammationes duas iterum speci
varias complectuntur, sunt enim aut contagiosae aut n
contagiosae. Et quidem contagiosas illas nominamu
quae e contagio proficiscuntur, contagium autem est m
teries organismo inimica, quae in homine morbum disti
ctum provocat, et provocatum in alios homines transfer
potest: vel eundem, vel paulisper tantum modificatum p
dispositione cujuslibet hominis affecti. Non contagios
vero sunt omnes, quae ex tali materie non profectae, n
que morbum ipsum in alios transferre possunt. Supe
sunt pauca de inflammationum exitu dicenda. Primus c
nominandus est et exoptatissimus quidem, sistit inflamm
tionum organi cutanei dissolutionem, ubi symptomata se
sim sensimque evanescunt et pars morbose affecta in i
tegrum restituitur, nisi desquamationem epidermidis h
bere velis pro impetu in organi integritatem. At ve
epidermis restituitur, neque quidquam remanet, ex q
morbum superatum dignoscere possis. Secundus exit

est in suppurationem. Suppuratio oritur ex humore quodam, quem dicimus purulentum, qui, ex parte inflammata effusus, non resorbetur in organismum, sed processum istum suppurationis provocat. Hic autem exitus varia organismi constitutione vel aliis rebus variari et depravari potest. Haud raro enim accidit ut suppuratio in exulcerationem, quin etiam in gangraenam transeat. In hoc exitu desquamatio epidermidis etiam existit, vel potius incrustationes formantur, tum crassiores tum tenuiores, neque tamen destructio remanet, nisi dato anomaliae casu. Quibus rebus compendiose absolutis, progrediamur ad enumerationem brevemque descriptionem morborum, quos hic continet ordo et primum quidem illorum, qui charactere contagioso carent.

1. ***Erysipelas*** est secundum ***Hildenbrand*** inflammatio cutis ad majorem plagam extensa, quae praeter febrem comitem, plus minusve vehementem, propriis et specificis characteribus distinguitur, ac in leviori gradu, dum nempe intra simplicis congestionis activae cancellos consistit, febri ut plurimum destituta erythema nominari solet. Proprietates erysipelati ex parte substrati unice propriae sunt: siccitas, calor urens et nitor peculiaris loci affecti, pruritus ardens ad scalptum invitans, epidermidis in vesicas elevatio vel ejus successiva squamarum forma exfoliatio. In illa praesertim cutis parte sedem habere videtur, quam rete Malpighianum nominamus, et sympto-

(1) Instit. med. pract. Tom. II. pag. 279.

matibus illis generalibus inflammationis, scilicet rubedine intumescentia, dolore, calore, denique functione partis affectae turbata, nobis se offert. Certe igitur est inflammatio et specifica quidem. Primum enim quod ad sedem attinet semper invenimus in reti illo Malpighiano. Rubedo admodum est superficialis, qui digito premente pro momento evanescens paulo post revertitur; excepto illo unico casu, ubi cutis ipsa inflammatione correpta vehementer laborat, ubi rubedo digito premente evanescens vix percipi potest. Quam speciem ***Erysipelas phlegmonodes*** appellamus. In erysipelate denique dolor adest urens et mordax; quae omnia erysipelas satis distinguunt a ceteris organi cutanei inflammationibus.

2. ***Ecthyma*** est exanthema pustulosum, quod in cutis inflammatione, pustulis magnis, rotundis, plerumque segregatim positis insigni, consistit; quam crusta plus minusve crassa sequitur. Qua decisa cicatricula, saepissime autem macula rubra remanet. Quid vox »pustula« valeat, paucis referam. Pustula est tumor quidam parvus, circumscriptus, qui puriformi quodam humore in superficiem cutis inflammatae effuso, exoritur, epidermide inde in altum sublata. Omnes pustulae vel acutum vel chronicum habent decursum, et dividi solent in ***phlyzacia*** id est majora, basi cui insident inflammata et in ***psydracia*** id est minora, in quibus inflammationis signa non tam luculenter existunt. Quae tamen inflammatione provehi ex pure, quod continent, elucet. Memoratu est dignum nonnulla esse exanthemata, quibus ex sua natura germen sup-

purationis inevitabile inhaereat, quam ob rem pustulantium nomen acceperunt. Atqui alia existunt exanthemata, quae tantum dato anomaliae casu effusum sub epidermide purulentum, id est pustulas efformant: neque tamen pustulis adnumerari possunt e. g. scabies, in qua saepe occurrunt pustulae ecthymatis nec non impetiginis. Sed revertamur ad rem.

Ecthyma igitur est exanthema pustulans, neque vero pus unquam formari potest, nisi praecesserit inflammatio. Eamque ob causam ecthyma, etiamsi inflammationis symptomatibus non satis perspicuis, ex pure ipso ad inflammationum indolem provocari licet.

3. Plane idem dicendum erit de ***Acne*** (ἀκνὴ—ἀκμή), exanthemate pustulante, quod nobis ex inflammatione folliculorum sebaceorum (glandularum sebacearum secundum ***Gurlt*** (1) dependere videtur, dum materies, quam ipsi secernunt accumulata, inflammationem provocat et alit. Sit res, quae velit, inflammationem perspicuam esse sufficiat.

4. ***Impetigo.*** Alius est morbus cutaneus, eruptione pustularum parvo tantum intervallo sejunctarum, insignis, et crassas, asperas et fuscas procreare solet crustas. Nonnunquam vero pustulae, omnino agglomeratae, majorem vel minorem superficiem occupant, quae sat distincte circumscripta, circularem vel ovalem formam exhibet. Hanc speciem ***Willanus*** ***Impetiginem figuratam*** nominat.

---

(1) l. c. pag. 409.

Sin autem pustulae dispersae, regulari forma superficie quam obtegunt, egent, ab eodem nominata est *Impetigo sparsa.* Neque in hac specie magni est laboris demonstrare, impetiginem pertinere ad inflammationes, nam pus adest, quod tantum ex inflammatione originem trahere posse constat.

5. ***Mentagra.*** In mentagra iterum obvenimus exanthemati pustuloso, quod sede et forma pustularum satis discerni potest. Sedet enim in mento, in regione maxillae inferioris et in partibus lateralibus faciei; pustulae vero parvae, acuminatae, exiguam tantum similitudinem cum acne praebent. Etiamsi ***Willanus***, ***Batemannus*** ***Plumbe*** et alii elementa primaria esse tuberculi confirmarint, ***Alibert et Biet*** secundaria tantum esse tubercula satis pellucide demonstraverunt. Non opus esse mihi videtur ut mentagram quoque ad inflammationes pertinere repetam. Illud unum addendum est, sistere mentagram in inflammatione matricis crinis, quam vocat ***Gurlt*** folliculum pilorum (1), quod ei commune est cum sequenti

6. ***Porrigo sive Tinea,*** cujus praecipua sedes in cute capitis, unde nonnunquam latius extenditur. Est exanthema pustulans, quod ***Willanus*** distinguit in ***porriginem et larvalem et furfurantem et lupinosam et scutulatam et decalvantem et favosam.*** Quod si omnes has varietates accuratius perscrutari vellem, spatium non satis magnum mihi foret, praesertim quum secundum

---

(1) l. c.

Alibert et ***Willanum*** eadem nomina varias designent species. De porriginis contagiositate tantum congruunt. Quamvis autem porriginem per tactionem in alios transferri posse homines negari nequeat, strictiori tamen contagii sensu, pro mea sententia, caret, sed potius transitum ad morbos contagiosos cutis sensu strictiori exhibet.

7. ***Framboesia.*** Jam restat ut pauca addam de framboesia (2) quam Anglicani ***Yaws*** nominant. Qui morbus cutaneus, in Africa tantum, India occidentali et America obveniens, pertinet ad tubercula. Quum vero in nostra terra framboesiam non reperiamus, satis fecisse mihi viderer, si demonstravissem, hanc speciem in hoc ordine rectum suum tenere locum. At suppurationem solam, quae ex nodulis oritur, affero, ut satis intelligere possis, ad inflammationes huncce pertinere morbum.

Ad ordinem secundum inflammationes complectentem, etiam alia referenda sunt exanthemata, praeter erysipelas, de quo in hoc ordine, et erythema, de quo in primo ordine jam egimus. Haec exanthemata sunt contagiosa, et quidem aut pustulantia, scilicet variola et vaccina, aut phoenicistica contagia, scilicet morbilli, rubeola et scarlatina. Exanthemata pustulantia processum vitae plasticum ea ratione alterant, ut phlogosis constanter in puris ge-

---

(2) cf. Bajon, mémoires sur Cayenne. vol. 1. pag. 233. Ludford, diss. de framboesia. Edinburg. 1791.
Pouppé Desportes, hist. des maladies de St. Domingue. 1782.
Schilling de morbo yaws in Schlegels Thesaurus. pathol. therap. Vol. 2. pars 1. pag. 217.

nesin nitatur. Alia exanthemata, peculiari irritatione insignia, per totum corporis ambitum incendunt reactiones in systemate vasorum capillarium, unde phlogosis oritur et exanthemata emicant, saturatissima rubedine conspicua, nullum tamen in consuetos inflammationum exitus nisum patefacientia, sed manifestissima cuticulae desquamatione solvenda, contagia phoenicistica ab ***Hildenbrandio*** nominata. Hujus generis sunt morbilli, scarlatina et rubeola. Sed primo loco exanthema pustulosum considerandum:

8. ***Variola.*** In hoc morbo distinguimus stadia quatuor: invasionis, eruptionis, maturationis et exsiccationis. In stadio eruptionis, quod ad finem tertiae vel initio quartae diei incipit, comparet exanthema primum in facie et ostendit maculas parvas, rubicundas, plus minusve numerosas, discretas vel hinc inde coagminatas, quae brevi medio tenus paulisper elevantur, nodulo duriusculo instructae, ardore et pruritu stipatae. Molestant pari tempore symptomata anginosa, dysphagia, raucedo vel aphonia, ardor, tensio et salivatio; insignia inflammationis signa. Die morbi septima eruptionis opus omnino terminatum est, suppurationis intrant signa. Pustulae ab initio deplanatae sensim sensimque dilatantur, et levem habent ad apicem impressionem seu faveolam. Diaphanum, quo prius scatebant, serum in purulentum vertitur laticem, cujus prima guttula in vertice pustulae generatur, pedetentim basin versus divulgatur et in lactis spissitudinem abit. Sub hocce suppurationis incessu singu-

lae variolae, halone roseo-puniceo circumscriptae, notabilem adhuc inflammationis gradum patefaciunt, cujus et reliqua cutis particeps fit, et tanquam ex erysipelate intumescit, tenditur, turget et dolet, donec absoluta puris genesi phlogoseos minuatur vigor. Circa nonam, decimam diem variolae et quidem primum in facie, in apice obscurius offerunt punctum, ubi epidermis dehiscit et materia lymphatico-purulenta exstillat, mox in crustas convertenda, quae serius ociusve secedunt et in cute maculas atro-purpureas vel cicatrices perennes relinquunt. Hic normalis decursus, sed distinguitur ***variola discreta*** et ***confluens*** et ***variola modificata***, quae multo mitius decurrit, ceterum autem omnia inflammationis symptomata eadem ostendit.

Contagia phoenicistica (rubefacientia).

9. ***Morbillis*** sequentes competunt characteres pathognomonici, symptomata catarrhosa gradus eminentioris, febris inflammatoria septem vel novem dierum cyclum excurrens; exanthematis forma specifica, maculae utpote vel et papulae tantillum elevatae, seminum lini figuram referentes, laete rubrae, quae primum ad faciem efflorescunt, nunquam liquorem quendam morbidum concipiunt, sed epidermidis desquamatione terminantur.

10. ***Roseola***, maculas plus minusve latas, discretas vel confluentes ac ideo figurae saepius irregularis, supra cutem vix elatas, planas, interdum annulatas, coloris rosei, a compressione pallescentes, modo indolentes, modo

ardore ac levi pruritu junctas, roseolam nominamus, quae roseola, quoad essentiam cum erythemate omnino collimat, sed propter similitudinem cum morbillis, quibuscum saepe confunditur, roseolam in hoc posuimus ordine.

11. *Scarlatina.* Febrem exanthematicam, a contagio specifico oriundam, cum angina faucium inflammatoria, cutis ariditate, maculis ruberrimis, late extensis, laevibus, forma pannorum amplorum semet desquamantibus ac particulari nisu in hydropem, medici scarlatinae nomine insigniunt, quam ad veras inflammationes pertinere nemo dubitet.

Superest ut aliquid dicam de ***Variolis tutoriis sive Vaccina***, quae hominibus ex industria ad prophylaxin variolarum verarum inseritur, ut dispositio ad suscipiendum virus variolae tollatur. Exanthema est pustulosum sui generis, acutum, typicum, terminatae formae, quod quamvis localis tantum sit affectio primaria, tamen saepe producit febrem, quod mihi jam satis esse videtur ad demonstrandam inflammatoriam ejus naturam.

ORDO TERTIUS.

INDURATIONES.

Sub hac rubrica illos organi cutanei morbos collocamus, quae in squamarum formationem transeunt, scilicet lepram, psoriasin, pityriasin et ichthyosin. Facile aliquis nobis contradiceret, hosce morbos exitus tantum esse inflammationis, et hanc sententiam refutare, nobis difficillimum foret, sed non nobis in mentem venit, hoc denegare. Hoc unicum contendimus, has squamas semper productas esse inflammatione chronica, quae nullum alium nisi huncce exitum habere potest, quae semper hasce format squamas, quae multum discrepant ab aliis ex vesiculis exortis, et morbosam sistunt epidermidis secretionem. Hi morbi semper occupant decursum chronicum; semper prominens symptoma permanent squamae, quum inflammatio, causa, quae eas effecit, aut plane praetervideatur, aut signis minus luculentis se manifestet. Quae indura-

tiones nihil aliud sunt quam epidermis in majore cop et cum abnormi duritie secreta et causa proxima si ullo dubio in illa cutis parte situm suum habet, qua epidermidem secernit, et quoad indolem nihil aliud es nisi inflammatio chronica. Sed transeamus ad enumera tionem morborum, ad hunc ordinem pertinentium.

1. ***Lepra*** illa dicitur affectio squamosa, quae maculis rotundis in margine elevatis, in centro depressis significatur, quarum centrum sanum, peripheria autem cu squamulis multis, fixis adhaerentibus, incanescentibus ob tecta est. Ab hac ***Lepra simplici*** nihilo differt ea quam ***Willanus*** appellat ***alphoidon***, nisi colore magi albido et minore extensione. Lepram autem a ***Willan*** nominatam ***nigricantem***, ad huncce morbum minime pertinere, mihi persuasissimum est, sed magis ad syphilide referenda.

2. ***Psoriasis.*** Character generalis constituitur maculis majoribus sive minoribus, irregularibus, aliquid supra cutem prominentibus, cum squamis albis, tenuibus e splendidis obtectis. Quoad formam et intensitatem distinguuntur: ***Psoriasis guttata***, ***diffusa***, ***inveterata e gyrata***, quoad sedem dividuntur in ***ophthalmicam***, ***labialem***, ***praeputialem***, ***scrotalem*** et ***palmariam.***

3. ***Pityriasis*** chronica est dermatitis, in qua epidermis tenuissima sub forma squamarum parvarum, albarum, tenuissimarum se ostendit, quae desquamantur e facillime renascuntur.

4. *Ichthyosis.* In hocce morbo epidermidis durities summum assequitur gradum, nam in hac affectione squamae exsurgunt supra cutem, quae magnae sunt, durae, siccae, albidae, vel canescentes, quae ad instar tegularum aliae super alias jacent, et neque calore neque dolore, neque pruritu stipatae sunt, ita ut transitum facere videantur ad ordinem sequentem.

ORDO QUARTUS

CUTIS DEGENERATIONES COMPLECTENS.

Hoc nomine usi sumus ad designandas eas cutis mutationes, quae sequelae morbi cujusdam maligni et sati gravis cutem in statum redegerunt, ubi aut partialiter au universim ad functiones inde exhibendas inutilis reddit est. Excludimus autem omnia cutis vitia aut congenit aut casu et fortuito exorta, quae localia tantum vitia no morbum procreant. Nam omnem morbum ***processu*** esse ***vitalem*** contendimus. Character horum morboru dyscraticus est, qui organo cutaneo pro foco sumto, i hocce maximas perficit destructiones et deletiones.

Primum in hoc ordine locum obtinent ***tubercul*** Ex hac familia ***Willani*** mihi neque ***Phyma*** neque ***Veruca*** neque ***Molluscum*** ad morbos cutaneos pertine videntur, sed:

1. ***Vitiligo*** certe hoc loco commemoranda. Sign sunt: tubercula glabra, albida, splendentia, cum papul splendentibus mixta, quae sub cutis superficie se subd cunt, eamque degeneratam relinquunt, ut speciem habe pellis vitilinae. Crines omnes in his locis decidunt, c

tis semper pellucida et albida manet. Neque ullum effectum habuerunt remedia efficacissima ad restituendam cutis integritatem et functionem.

2. ***Lupus.*** (Noli me tangere). Huic quoque morbo negat ***Batemannus***, se posse afferre remedium, quod ullum auxilium ferat, et pariter ***Rust*** huncce morbum pertinacissimorum numero includit. Lupus sive maculas, sive tubercula non dolentia initio profert, et praecipue narium regionem infestat. Peculiaris nisus ad deletionem partium ei proprius est, et saepe medici chirurgi auxilium petit.

3. ***Elephantiasis.*** ***Aetius*** jam de hac affectione loquitur: ea, inquit, a magnitudine et diuturnitate nomen accepit. Nec minus poëta:

Est leprae species elephantiasis vocatur,
Quae cunctis morbis major sic esse videtur,
Ut major cunctis elephas animantibus exstat.

(Macer. de herb. virtut.)

Galenus interpretatur vocem ***Hippocratis*** σατυρισμὸς his verbis: ἐπειδὴ τοῖς σατύροις ὅμοιοι γίγνονται τὸ πρόσωπον. Haec jam sufficiant, ad hunc locum isti morbo, in nostra terra non obvenienti, in nostra synopsi concedendum.

Praeter tubercula ad hunc ordinem trahenda est tota ***Syphilidorum*** familia nec non ***Radesyge***, quae a morbo dyscratico universali producuntur, et post sanationem etiam cicatrices relinquunt, ubi cutis nunquam integritatem, neque functiones normales recuperat. —

V I T A.

Ego *Theodorus Glasmacher*, Coloniensi
natus sum a. MDCCCXIII parentibus, fidem ca
tholicam profitentibus, *Joanne Josepho Gla*
macher et *Elisabetha* e gente *Ruettger*, qu
adhuc incolumes pio gratoque animo venero

Primis litterarum elementis imbutus Gyn
nasium Fridericum Guilelmum Coloniense p
septem annos et dimidium frequentavi. In
testimonio maturitatis dimissus vere an
MDCCCXXXI almam Rhenanam, quae Bonn
floret, litterarum sedem petii, ibique recto
magnifico beato *a Droste* civium academic
rum numero adscriptus, Ill. *Harlefs*, t. t. d
cano in album gratiosi medicorum ordinis n
men dedi.

Praelectiones, quas ibi audivi hae sunt:

E philosophicis: Ill. *van Calker* de logice et psychologia, Ill. *Treviranus* de botanice, Ill. *Noeggerath* de mineralogia, Ill. *a Muenchow* de physice experimentali, Ill. *Nees ab Esenbeck* de plantis officinalibus, Cel. *Bergemann* de chemia experimentali.

E medicis: Ill. *J. Mueller* de encyclopaedia et methodologia, de physiologia et de pathologia generali, Ill. *Weber* de osteologia, de anatomia speciali et anatomia comparata, Ill. *Mayer* de anatomia generali et speciali, qui una cum Ill. *Weber* dux mihi fuit in cadaveribus dissecandis, Ill. *Harleſs* de materia medica, Ill. *Wutzer* de pathologia et therapia morborum chirurgicorum, de ophthalmologia, de operationibus chirurgicis, de fasciis rite applicandis, Ill. *Albers* de pathologia speciali, de semiotice, de morbis syphiliticis, Ill. *Bischoff* de formulis medicis rite praescribendis, Ill. *Kilian* de arte obstetricia et de instrumentis obstetriciis, Ill. *Nasse* de therapia et generali et speciali. Clinicum et polyclinicum chirurgicum et ophthalmiatricum duce Ill. *Wutzer* per dimidium annum frequentavi.

Vere a. MDCCCXXXIV hanc musarum sedem Berolinensem adii et civibus academicis ad-

scriptus sum Ill. *Straufs*, t. t. Rectore Magnifico, Ill. *Busch*, t. t. decano.

Scholis clinicis hic interfui: Ill. *Bartels*, Ill. *Busch*, Ill. *Rust*, Cel. *Wolff* et Ill. *Juengken*.

Praeterea per annum integrum, ut legi reipublicae satisfacerem, duce Dr. *Bieske* chirurgi militaris munere functus sum.

Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

I.

In prosopalgia dissectio nervi est rejicienda.

II.

Icterus symptoma tantum morbi.

III.

Omnia vulnera pectoris penetrantia prima intentione sananda sunt.

IV.

Ad tollendam eclampsiam parturientium partus violentus optimum remedium.